



Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale,|| In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XV. V. Co[n]fessio etia[m] necessaria fuerit de iure naturali, aut scripto,
ante Eua[n]geliu[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput I. De Necesitate

nec absolvant etiam compunctum, nisi vi-
derint & confessum : Quandoquidem cor-
de creditur ad iustitiam ; ore autem Confes-
sio fit ad salutem ; aliò qui à mortuo tanquā,
qui non est, perit Confessio. Quisquis igitur
verbum in ore habet, & in corde non habet,
aut dolosus est, aut vanus : quisq[ue] verò in cor-
de, et nō in ore, aut superbus est, aut timidus.

Rom. 10.

Eccle. 4.

Hos omnes Viros, cùm doctrina, tūm vīte
sanctimonia insignes, qui testimoniū ferunt
de cōsensu totius Ecclesiae, omnium tempo-
rum (quod ad Confessionem Sacramentalē
attinet) subsecutum est illud magnum Con-
ciliū generale, ex quo Canon, Omnis vtrius-
que sexus &c. citatur, cui Innocētius tertius,
vir & pius, & doctus præfuit, eidemq[ue] & tā
Græca, quām Latina Ecclesia, maximo Prä-
latorum totius orbis conuentum interfuit.
Qui autem verisimile est, Christum passum
esse, tantū Concilium, sua caussa coactum,
errare : qui promisit, cùm etiam vel duo, vel
tres congregati fuerint in nomine suo, se
futurum in medio illorum ?

Matth. 18.

*Quæstio Fuitne Confessio etiam necessaria de
XV. Iure naturali, aut scripto, ante
Euangelium.*

Respoſio. N O N fuit : Tūm, quia Sacraenta gra-
tiæ fides præcedere debet; vnde & Sa-
craenta fidei dicuntur, & supra naturam
sunt

sunt, sicut & ipsa fides: Tum quia nulla ratio naturalis, seclusa iuris positui dispositio-
tione, dictat esse peccatori necessarium sua
peccata occultissima proximo pandere, & fe-
coram illo quodammodo infamare, maximè
ad subsequendam remissionem peccatorū, qui
finis est, & effectus ipsius Sacramentalis Cō-
fessionis, cùm de huiusmodi fine, ratio natu-
ralis nihil doceat, sed potius D E I reuelatio.
Igitur siue consideremus Confessionē Sacra-
mentalem; quatenus Sacramentum gratiæ
est, seu pars Sacramenti iustificantis; siue cō-
sideremus ipsam peccatorū Confessionem,
qua peccata occulta proximo panditur, siue
cōsideremus finem, qui est peccatorū venia,
& amicitiæ cū Deo redintegratio: Patet non
cadere sub dictamen rationis naturalis.

Adhæc: si Confessio esset iuris naturalis,
apud omnes omnino gētes obstringeret atq;
obligaret. Siquidem ius naturale apud om-
nes idem est, quodq; singulis inseuit natura;
huiusmodi autem constat Confessionē non
esse: Quare iure naturali nemo Confessio-
nis vinculo obstringeret.

S E C V N D O, idem patet, quia si sic es-
set; non solum post legem Euangelicam, sed
anteā, fuissent homines obligati, sua peccata
etiam occulta hominibus confiteri; cùm ta-
men nec tempore legis naturæ, nec scriptæ,
huiusmodi aliquid fuerit obseruatū: Qnam-
uis enim in lege Moysis, qui ad populu D E I
pertinet

Caput I. De Necessitate

pertinebant; debuerint quædam sacrificia & oblationes facere, quæ hostiæ pro peccatis dicebâtur, ob aliqua peccata publica, aut aliquas irregularitates, secundum ritum eorū, contractas remouendas, ut habetur in Leuitico; nemo tamen cōtendit, aut affirmat eos fuisse obligatos, ut hanc Confessionē sacram, qualis nunc fit in Ecclesia, suis Sacerdotibus facerent.

Sequeretur insuper, nunc omnes peccatores esse obligatos ad confitendum peccata, quæ ante Baptismum commiserunt, sicut ea, quæ post fuerunt perpetrata. Imò & infideles tenerentur sua peccata Sacerdotibus confiteri: Nam ea, quæ sunt de iure naturæ, & de dictamine rationis naturalis, omnes indifferēter obligant. Cōsequens est falsum, nam aliōqui Baptismus non efficit prima post naufragiū tabula; sed Confessio Sacramentalis, si esset necessarium, peccata ante Baptismū, & tēpore infidelitatis cōmissa cōfiteri.

Quæstio XVI. Estne Confessio omnibus hominibus necessaria?

Respoſio. DE infidelibus nobis hīc non est sermo: Quid enim ad nos de his, qui foris sunt, iudicare? De fideliis autē, antequām pronuntiemus, an obligatio confitendi ad omnes eos se extendat; scire oportet, posse fideli esse in quadruplici genere.

Primi